

QUESTIO XIV.

DE DEFECTIBUS CORPORIS

ASSUMPTI A FILIO DEI.

ORDO DOCTRINÆ.

Hanc quæstionem divisit S. Thomas per quatuor articulos. In primo inquit, utrum Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus. Respondet unica conclusione: Conveniens fuit corpus assumptum a Filio Dei humanis infirmitatibus, et defectibus subjacere.

In articulo secundo inquit sanctus doctor, utrum Christus necessitatem subjacendi his defectibus assumpserit. Triplici respondet conclusione. Prima conclusio: Christus assumpsit necessitatem naturalem subjacendi defectibus corporalibus ea ratione, qua corpus habebat passibile.

Secunda conclusio: Si loquamur de necessitate coactionis quatenus repugnat naturæ corporali, sic corpus Christi secundum conditionem propriæ naturæ subjacuit necessitati, et clavi perforantis, et flagelli percutientis.

Tertia conclusio: Si loquamur de necessitate coactionis, quatenus coactio repugnat voluntati, sic in Christo non fuit necessitas horum defectuum, neque per respectum ad divinam voluntatem Christi, neque per respectum ad humanam, prout sequitur rationem deliberantem; sed tantum secundum motum voluntatis naturalem, prout scilicet refugiebat naturaliter mortem, et alia corporis nocumenta.

In articulo tertio inquit D. Thomas, utrum Christus defectus naturales contraxerit. Unica respondet conclusione: Christus non contraxit hos defectus quasi ex debito peccati, sed eos suscepit ex propria voluntate.

In articulo quarto inquit sanctus doctor, utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit. Respondet triplici conclusione.

Prima: Non fuit conveniens, quod Christus assumeret omnes defectus, seu infirmitates humanas.

Secunda conclusio: Christus non assumpsit defectus, qui non ex corruptione naturæ, sed ex particularibus causis oriuntur, ut lepra, morbus caducus, et alii hujusmodi; nec eos qui ex inordinato victu, aut ex defectu virtutis formativæ proveniunt.

Tertia conclusio: Christus Dominus assumpsit omnes defectus, qui communiter reperiuntur in hominibus ex natura corrupta, ut sunt mors, fames, sitis, etc.

ARTICULUS I.

Utrum Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus?

I. Conclusio est: Conveniens fuit corpus assumptum a Filio Dei humanis infirmitatibus, et defectibus subjacere. Hæc conclusio est de fide, et probatur optime ex testimoniis sacræ Scripturæ, tum adductis a D. Thoma hic, tum etiam ab interpretibus ejus.

II. Contra istam conclusionem tenuerunt multi hæretici, asserentes non fuisse conveniens Christum habere corpus passibile, imo hoc esse indignum eo quod erat divinitati unitum, atque adeo de facto tales defectus corporis non habuisse: de quo videatur Suarez disp. xxxii, sectione prima: ut autem ab hoc errore sanctos patres defendamus (quod est proprium munus catholici theologi) notandum est, quod quidam ex doctoribus gravissimis eundem errorem aliquando insinuarunt, præcipue D. Hilarius Pictaviensis episcopus, qui illum expresse videtur asserere super Psalmum lxxiii, in illis verbis: *Salvum me fac Deus quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Cui etiam consentire videntur D. Hieronymus et D. Augustinus et expresse tenuit Justinianus imperator, qui edicto publico intimandum præcepit, ut optime advertit noster Sixtus Sennensis libro v bibliothecæ, annotatione 186, et in aliis annotationibus ibi citatis. Quibus adjungi potest Clemens Alexandrinus libro vi stromatum, folio 134, ubi de corpore Christi sic ait: « Sancta virtute continebatur, et tamen comedebat ne phantasticum putaretur. Ipse autem ut semel dicam impassibilis

erat, qui nullum subiit motum affectionis, vel voluptatis, nec doloris. » Qui omnes in eo videntur fundari, quod non esset decens, ut corpus divinitati unitum humanis infirmitatibus, aut passionibus esset subiectum.

III. Alii vero auctores oppositum etiam a veritate declinare videntur, asserentes non solum corpus Christi esse passionibus, et doloribus subiectum, sed etiam omnino fuisse necessarium tales defectus habuisse; necessarium, inquam, vel simpliciter, et omnibus modis, ita ut oppositum nulla potentia fieri potuit; quam sententiam D. Anselmo tribuit Vazquez in part. disp. ii, cap. ii et iv, de quo late diximus supra quæst. i, art. ii, dubio i, in solutione primi argumenti, vel necessarium saltem ex suppositione finis reparationis, scilicet nostræ per Christi merita, et opera satisfactoria. Et in hoc sensu illam sententiam tribuit Bonaventuræ in iii, dist. xvi, art. i, quæst. iii. Et pro illa fieri potest argumentum: Nam si est necessarium omnino fieri satisfactionem pro peccatis nostris per opera pœnalia; ergo eadem ratione, qua fuit necessarium humanum genus reparari per satisfactionem Christi, fuit etiam necessarium, quod corpus Christi subiectum esset doloribus, et pœnis corporalibus hujus vitæ, quibus satisfaceret.

IV. Cæterum conclusio D. Thomæ inter ista duo extrema mediam tenet viam. Et quidem contra primam sententiam est certa secundum fidem ut diximus, et latissime probant interpretes nostri doctoris sanctissimi, atque adeo nobis in hac parte solum convenit sanctos illos patres a tali errore omnino liberos esse, ostendere. Intelligantur ergo juxta expositionem, quam tradit illis Sixtus Sennensis ubi supra, ibi

enim ex Petro Parisiensi episcopo libro tertio sententiarum, dist. xv, ait quod Hilarius non abstulit a Christo verum timoris, doloris, aut passionis sensum, nec naturalem necessitatem timendi, et dolendi; sed solum causam, et meritum timendi, et dolendi, aut patiendi, quæ in nobis est, quia in nobis est naturalis patiendi necessitas propter peccatum Adæ: inducta in Christo autem naturalis illa necessitas fuit patiendi, non vitio humanæ conceptionis illata, sed ultronee, et ex ejus voluntate suscepta.

V. Et consonat expositio ista cum ea, quam adducit D. Thomas quæstione sequenti, articulo quinto, ubi D. Hilarius optime exponit inquit: « Hilarius a carne Christi non veritatem doloris, sed necessitatem excludere intendit, et accepit necessitatem per comparisonem ad causam primam horum defectuum, quæ est peccatum, ut scilicet ea ratione dicatur caro Christi non subjacuisse necessitati horum defectuum, quia in ea non fuit peccatum: quantum tamen ad causam propinquam horum defectuum, quæ est compositio contrariorum, caro Christi subjacuit necessitati horum defectuum. »

VI. Item D. Bonaventura loco supra citato quæstione prima ad primum, postquam affirmat se audivisse a Guillermo Parisiensi illum vidisse, et legisse librum in quo D. Hilarius errorem istum retractaverit, adhuc illum exponit, quod loquatur Hilarius de ipsa divinitate, quæ non sit passa tales labores; non vero de humana natura. Quæ expositio etiam consonat verbis Hilarii primo de Trinitate citato, ubi solum vult excludere impietatem eorum, qui ex infirmitate patiendi conantur ostendere Christum non in natura Dei impassibili fuisse. Verum est autem ita obscure D. Hilarius fuisse

locutum, ut merito sit sæpe notatum in margine, quod caute legatur. D. Hieronymum, D. Augustinum, necnon et Clementem Alexandrinum optime exponunt magister Medina, et Suarez.

VII. Quod autem pro ratione fundamentali oppositum adducebatur, videlicet, quod corpus Christi esset doloris expers, eo quod erat hypostatice divino Verbo unitum, nihil obstat, optimas enim rationes in contrarium adducit D. Thomas, tum in corpore articuli, tum in solutione ad primum et quartum, ubi ostendit convenientissimum fuisse Christum Dominum corpus habere vere, et proprie.

VIII. Tandem conclusionem D. Thomæ verissimam esse contra auctores, qui ex alio extremo affirmabant omnino fuisse necessarium, ut corpus Christi esset passibile, constare potest ex his, quæ docet Suarez hic in fine commentarii, et his, quæ nos diximus supra quæst. I, art. II, dubio I, circa solutionem ad primum, nec D. Anselmum, ut ibi diximus oppositum voluit docere, sed tantum quod servata lege ordinaria gratiæ, quæ communis est, et regularis in ordine illo supernaturali, fuit necessarium Christum habere corpus passibile, et doloribus subjectum. Cæterum de potentia Dei absoluta id necessarium non fuisse ibidem probavimus etiam ex eodem D. Anselmo, de necessitate incarnationis divini Verbi.

IX. In quo etiam sensu intelligendus est D. Thomas in solutione ad primum, ubi affirmat taliter fuisse necessarios in anima Christi habitus supernaturales ad satisfaciendum, quod ejus satisfactio non fuisset efficax nisi ex habitu charitatis procederet, hoc, inquam, sic debet intelligi, quod servata lege communi, et ordinaria rerum supernaturalium, non datur satisfactio, aut me-

ritum sine gratia habituali, et charitate, quæ sunt proxima principia, et connaturalia totius meriti. De potentia tamen Dei absoluta loquendo, jam supra diximus fieri posse talem satisfactionem infinitam Christi ratione valoris infiniti, quæ habent opera, ex eo quod a tali supposito procedant, absque eo quod ejus anima dono aliquo supernaturali esset ornata. In ultimo etiam sensu D. Bonaventuræ potest sententia illius defendi, si supponamus quod a Christo deberet satisfactio fieri per opera pœnalia. Ex hoc enim bene sequitur necessarium esse ut corpus Christi passibile esset. Si autem solum supponamus, quod Christus satisfactus esset abstrahendo a modo, non esset necessarium Christum habere corpus passibile, quia satisfacere posset per actum voluntatis, qui esset infiniti meriti, eo quod a tali supposito eliciebatur.

X. Dato jam quod Christus defectus corporales habuerit, ut modus quo illos habuerit nobis aperiatur, subditur.

ARTICULUS II.

Utrum Christus necessitatem subjacendi his defectibus assumpserit?

I. Notandum est pro majori luce litteræ D. Thomæ, quod inter alias hæreses Juliani apostatæ, quas D. Damascenus enumerat libro de hæresibus, enumerat quamdam, hæresi LXXXIV, qua asseritur defectus famis, et sitis, frigiditatis, et alios hujusmodi non fuisse in Christo, sicut in nobis sunt necessarii. In Christo autem asserebat Julianus, quod erant voluntarii. Quam sententiam hæreticam judicat Damascenus; ex altera autem parte idem Damascenus lib.

inde fide, capite xx, affirmat hos defectus esse in Christo voluntarios; ubi videtur incidere in errorem a se ipso condemnatum; sed tamen nullatenus incidit, ut statim videbimus.

II. Secundo, notandum est, quod dupliciter aliquid potest dici voluntarium; uno modo tamquam actus voluntatis, vel elicitus ab ipsa, ut actus ipse amoris, vel imperatus ab illa, et elicitus ab altera potentia: alio modo dicitur aliquid voluntarium non ut actus elicitus, aut imperatus a voluntate, sed ut objectum amatum, seu acceptatum, ut fames, sitis, et mors, et ista voluntaria possunt esse, vel in se ipsis, dum fiunt, vel in sua causa: aut possunt etiam dici voluntaria, quia fuerunt acceptata multo tempore antequam fierent.

III. Tertio etiam notandum est, quod in præsentem possumus loqui de voluntate divina, vel de voluntate humana, quæ quidem considerari potest, vel quatenus est instrumentum divini Verbi, vel secundum suas naturales vires præcise; et potest etiam considerari, vel quatenus est voluntas ut natura, vel quatenus est voluntas libera absolute. De quo videatur D. Thomas infra quæstione XVIII, articulo v et vi. Quibus positus quidquid ad litteram præsentis articuli spectat, per aliquas propositiones a nobis breviter elucidabitur.

IV. Prima propositio: Loquendo de voluntate divina, apertum est hos defectus fuisse illi simpliciter voluntarios multis modis. Primo, quia in ipsa assumptione humanitatis ad Verbum assumptum est corpus passibile, et subjectum his infirmitatibus: secundo, fuerunt voluntaria respectu divinæ voluntatis quando actu fiebant: tertio, quia divina voluntas posset prohibere causas naturales, aut liberas infligentes hujusmodi defectum, videlicet calo-

rem, frigiditatem, etc. Id tamen prohibere noluit, sed potius in humanitate suscepta mortem pro nobis sustinuit, ut fides docet.

V. Secunda propositio: Loquendo de voluntate Christi humana affirmandum est, quod isti defectus fuerunt ipsi voluntarii absolute tamquam objecta acceptata, et amata; tum quidem in ipsa assumptione humanitatis a Verbo, quia cum in illo primo instanti habuerit Christus perfectum usum rationis, voluntarie assumpsit corpus passibile his defectibus subjectum, juxta illud Pauli ad Hebræos III, ubi loquens nomine Christi ex Psalmo XXXIX, ait: *Ingrediens mundum (hoc est in instanti primo conceptionis) dixit: Sacrificium, et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Hoc est, voluntarie acceptavi passibilitatem corporis apti ad sustinendos hos defectus, et quia sua voluntate acceptavit illos, ideo subjunxit: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui;* tum etiam, quia voluntarii fuerunt omnes hujusmodi defectus voluntati humanæ Christi absolutæ in singulis occasionibus, quibus istæ passiones inducebantur. Ac denique multæ ex his passionibus voluntarie fuerunt tamquam effectus volitus in sua causa, verbi gratia, esuries post jejunium quadraginta dierum fuit illi voluntaria in causa, videlicet in diuturna negatione cibi.

VI. Tertia propositio: Loquendo de voluntate humana Christi quatenus erat instrumentum divini Verbi, sic omnes isti defectus fuerunt illi voluntarii simpliciter, quia ut sic optime poterat absolute loquendo impedire omnes causas tales passiones inducentes, quamvis in sensu composito, hoc est, supposita determinatione divinæ voluntatis de passione, et morte Christi, non poterat convenire ea ratione, qua illi peccatum inobedientiæ repugnabat.

VII. Quarta propositio: Loquendo de humana voluntate Christi considerata, ut natura secundum vires ejus naturales, et supposita dispositione naturali corporis passibilis, et connexione causarum, necessitate naturali patiebatur Christus hos defectus, nec illos poterat per vires humanæ naturæ impedire. Et in hoc sensu loquitur D. Damascenus citatus in primo notabilium quando condemnavit hæresim Juliani asserentis defectus istos non fuisse necessarios in Christo, sed voluntarios; in sensu enim hujus ultimæ propositionis non fuerunt voluntarii, sed necessarii. At quando D. Damascenus affirmat tales defectus esse Christo voluntarios, non incidit in errorem a se condemnatum, quia hoc intelligitur juxta propositionem secundam, et explicari etiam potest juxta primam, et tertiam.

ARTICULUS III.

Utrum Christus defectus naturales contraxerit?

I. Conclusio: Christus non contraxit hos defectus quasi ex debito peccati, sed eos suscepit ex propria voluntate. Istum articulum ponit D. Thomas, ut explicet modum, quo loquendum est de Christo in ordine ad talium defectuum contractionem; nam cum prima causa illorum sit peccatum, hanc omnino excludit a Christo. Secundam autem causam ponit in illo, scilicet, naturalem conditionem humanæ naturæ passibilis, quæ ejusdem rationis est in Christo, et in reliquis hominibus; qua ratione dici posset simul cum natura humana tales defectus contraxisse. Ne tamen in altero primo sensu videamur loqui, et ne significemus esse eodem modo in Christo, et in no-

bis, negat D. Thomas tales defectus contraxisse. Et ratio hujus esse potest, quia ex vi propriæ generationis Christi est magna differentia inter Christum, et nos, nam ex vi generationis Christi, quia simul unitur natura humana divino Verbo, non debatur illi natura passibilis, aut corpus passibile, sed potius debetur consummata perfectio tam animæ, quam corporis, atque adeo quod esset impassibilis, et ideo non debet dici Christum ex vi talis conceptionis illos defectus contraxisse ex aliqua necessitate sicut nos, sed voluntarie illos esse assumptos, quod in nobis non reperitur.

II. Habita notitia, quod Christus naturales defectus habuit, restat inquirere jam de numero illorum, circa quod subditur.

ARTICULUS IV.

Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit?

I. Magister Medina in præsentia, et Suarez disput. XXXII, sect. II, §. Ex quo expeditur, etc. dubium movent an Christus pati potuerit aliquem morbum; quod quidem ab eis negative optime resolvitur. Sed contra adhuc instari potest, quia quantumvis fuerit virtus formativa perfecta in Christo, et rectus ciborum usus, adhuc Christus Dominus erat subjectus causis extrinsecis habentibus de se virtutem ad corrumpendam complexionem humani corporis; ergo pati posset infirmitates.

II. Respondent quidam negando consequentiam, et reddunt rationem, quia Christus conceptus fuit, et natus in tam optima constellatione, quæ de se sufficiens erat impedire tales causas extrinsecas, ne morbum

aliquem in corpore Christi causarent. Hæc sententia tribuitur B. Alberto Magno in libro qui dicitur speculum, et Petro de Alicano cardinali quæst. XXX in Genesim, et libro de legibus. Sed tamen liber ille speculi falso, sicut et alii tribuitur Alberto, cum multa vana, et pernicio- sa tanto viro indigna contineat, unde et solutio illa inanis est, ut ostendit D. Augustinus libro V de civitate Dei, capite I et II.

III. Secundo, respondet Cajetanus negando etiam consequentiam, sed alteram rationem reddens, videlicet, non posse causas extrinsecas morbum in corpore Christi causare ex optima temperie, et complexionem, quam ex vi virtutis formativæ habuit, quibus quidem adjuncta præcipue ejus summa prudentia, cognitione eorum, quæ poterant infirmitatem inferre, resistere potuit cuiusque contrario extrinseco corrumpenti. Hanc solutionem sequuntur magister Medina, et Suarez hic, et multi ex Thomistis, mihi quæ etiam placet loquendo de tempore determinato, quod quidem non solum erat respectu vitæ triginta trium annorum, quibus Christus deguit in hac vita mortali, et aliorum plurium quibus vivere posset naturaliter, ut constat ex comparatione aliorum hominum, qui sine aliqua infirmitate longo vivunt tempore, quos quidem in optimo temperamento Christus excessit.

IV. Majorem autem ingerit in præsentia difficultatem, an talis temperies, et optima complexio Christi Domini sufficiens esset ad resistendum cuiusque corrumpenti pro quocumque tempore indeterminato, ita ut vere, et proprie dici posset Christum non fuisse subjectum necessitati incidendi in morbum, etiam si per longissima tempora viveret. In qua difficultate D. Bonaventura in III, dist. XVI, quæst. I,

artic. III, affirmat potuisse Christum propria virtute humanitatis ratione suæ optimæ complexionis se conservare in perpetuum. Et hanc sententiam aliqui recentiores amplectuntur.

V. Arguitur primo pro illa: Quia Christus per scientiam infusam cognoscebat omnia simplicia, et composita, quibus restaurare posset deperditum in nutritione, non tantum pro aliquo tempore, quod etiam in nobis contingit, sed etiam semper; ergo posset proprie virtute humanitatis se perpetuo conservare, et sine aliqua prorsus infirmitate.

VI. Secundo: Quia sic perpetuo se conservare potuerunt nostri primi parentes in statu innocentiae; ergo multo melius id dicendum erit de Christo, qui in cognitione rerum omnium illos excedebat.

VII. Confirmatur ex sententia quorundam medicorum, qui defendunt, quod nisi divina lex staret, quia: *Statutum est hominibus semel mori*, in pœnam peccati, posset se quilibet homo perpetuo conservare, si uteretur quibusdam cibis, et medicamentis; quod quidem multo melius dici debet de Christo, tum ratione melioris complexionis, tum etiam ratione majoris cognitionis.

VIII. Oppositam sententiam maxime conformem esse doctrinæ D. Thomæ in articulo secundo hujus quæstionis, et in tertio sententiarum, dist. XVI, art. II, judicant ejus discipuli, et ideo illam sequuntur plures ex recentioribus, pro cujus luce sit.

IX. Prima conclusio: Christus assumpsit necessitatem moriendi, ita quod et si morte violenta non fuisset occisus, ex intrinsicis ipsius naturæ moreretur post longa tempora. Hanc existimo expressam D. Thomæ loco citato, imo et D. Augustini, qui communiter sic affirmasse refertur, quamvis locus D. Augustini revera non reperiatur, ut inquit Me-

dina; et pro hac conclusione facit id quod magister Bagnez ait libro II de generatione, cap. X, quæst. II, ubi probat, quod omne mortale certam habet suæ vitæ periodum, atque adeo cum Christus fuerit mortalis naturæ, etiam si violenter occisus non fuisset, naturaliter subiret mortem.

X. Secunda conclusio: Quando Christus naturali morte vitam finiret aliquam pateretur infirmitatem. Hæc conclusio probatur ex altera sententia doctoris Valles libro VI contra deos medicorum, capite primo, quem multi alii ex medicis sequuntur, videlicet, quod accidere non potest mors naturalis per senectutem sine aliquo morbo, et febris, vel sine aliqua putrefactione; ex qua sententia plane sequitur quod sicut Christus necessitatem assumpsit moriendi per senectutem, assumpsit etiam necessitatem incidendi in aliquem morbum omnino necessarium ad mortem.

XI. Ad argumenta in oppositum facta pro sententia D. Bonaventuræ respondetur. Ad primum, quod cum Christus in scientia, et prudentia, et cognitione simplicium, et compositorum omnes alios homines excederet, posset quidem longiori tempore se conservare cum valetudine, quam aliquis alius; nunquam tamen ex medicamentis, aut cibis totum, et integrum restaurari potest humidum radicale, ut optime ostendit magister Bagnez loco citato, atque adeo non se perpetuo conservaret.

XII. Ad secundum respondetur ex magistro Bagnez ibidem ubi docet, quod lignum vitæ non sufficeret ad immortalitatem hominum causandam in statu innocentiae, nisi justitia originalis adesset, atque adeo nec Christus, qui naturam mortalium assumpsit, quamvis in cognitione ciborum, et proprieta-

tum ejus, et in usu moderato illorum reliquos excelleret, immortalis fieret.

XIII. Ad confirmationem respondetur negando omnino sententiam illam medicorum; semper enim in

sumptione cibi, et cujuscumque medicamenti aliquid deperditur de virtute formativa, nam ut dicit Galenus in quodam aphorismo nullo medicamentum est ita salubre, quod aliqua ex parte non noceat.